

exorcismi successerunt, nec ejectus est diabolus, nec interrogationibus interjectis satisfacit. Id vero resciscens Episcopus, infelicem LAURENTIUM a Sacris suspendit.

HINC :

- QUÆR. 1° Qua auctoritate, et quando fieri debeant exorcismi?  
 2° Quænam quæstiones dæmoni proponi possint?  
 3° An, vel in quibus peccaverit LAURENTIUS?

SOLUTIO :

303. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Exorcismi solemnnes, qui constant ritu et orationibus ab Ecclesia statutis, fieri nequeunt, nisi de licentia expressa Episcopi. Privata autem adjuratio, justa de causa, fieri potest a quocumque Sacerdote; si absque justa causa fiat, erit vana nominis Dei invocatio, ut de juramento dictum est.

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Quæstiones illæ fieri possunt in exorcismis quæ ad dæmonis expulsionem conducunt, v. g. de tempore et causa possessionis, de signo egressus. Nefas autem est quæstiones omnino ad rem impertinentes subjicere, et a fortiori de rebus occultis vel futuris, quasi per divinationem, inquirere. Sacerdos enim potestatem interrogandi dæmonem non habet, saltem practice loquendo, nisi ex Ecclesiæ delegatione, quæ non conceditur nisi in ordine ad dæmonis ejectionem.

304. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* 1° LAURENTIUS graviter peccavit, exorcismos exercendo sine Episcopi delegatione; siquidem lex Ecclesiæ id prohibens gravis est, et ex motivo gravi lata est. 2° Circa quæstiones dæmoni propositas, dico: tres priores bene fieri potuisse, si LAURENTIUS ad exorcismos solemnnes delegatus fuisset, quia exorcista potest diabolo injungere seu præcipere quidquid ad ejus ejectionem, vel ad ejus opera dissolvenda, conducere potest; porro scire quare, quomodo, quando possessum ingressus est, utile esse potest ad ejus ejectionem. Ergo... Quarta autem interrogatio fuit omnino impertinens ad rem, temeraria, ex curiositate facta, et proinde etiam exorcistæ delegato illicita foret. Attamen dicunt plures Theologi non esse peccatum mortale, unam tantum aut alteram quæstionem ex curiositate diabolo proponere, supposita delegatione ad solemnem adjurationem faciendam. *S. Lig. l. 3, Append. de adjuratione, n. 5.*

#### CASUS VI.

##### DE VALORE VOTI 1°.

LUCIANUS, juvenis consuetudinarius, volens Confessario demonstrare firmum emendationis propositum, eidem in sacro tribunali coram Deo promisit: 1° se non amplius in illud vitium relapsurum; 2° si forte in illud reincideret, se die sequenti jejunaturum. Ast ex humana fragilitate factus recidivus, ad Confessarium gemebundus rediit, se accusans quod contra suum votum in idem vitium relapsus sit, nec jejunaverit. Interrogat Confessarius an intenderit verum emittere votum, et an credat se ob pro-

missum non servatum gravius deliquisse? Respondet pœnitens, sibi non constare an voluerit verum facere votum, sed tamen se existimare quod, ratione promissi non servati, gravius peccaverit.

HINC :

- QUÆR. 1° Quid est votum, et quid ad ejus valorem requiratur?  
 2° An LUCIANUS censeatur verum votum emisisse?

SOLUTIO :

305. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Votum communiter definitur: promissio deliberata Deo facta de bono meliori. Ex ipsa definitione jam patet quid ad valorem voti requiratur, scilicet: 1° *promissio facta ipsi Deo*, non vero alicui Sancto; 2° *intentio verum votum emittendi*, id est, se obligandi sub pœna peccati, non vero merum propositum statuendi; 3° *voluntas deliberata*, id est, qualis requiritur ad perfectum actum humanum, vel ad obligationem suscipiendam; 4° *de bono meliori, seu de re quæ sit melior ipsa quam non ipsa, vel de actu cujus positio sit in se melior quam omissio.*

306. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.*, seu an verum votum emissum sit a LUCIANO, vel merum propositum? Solutio difficultatis a sola intentione ipsius LUCIANI repetenda est, scilicet, an intenderit se obligare sub peccato, necne. Si, re perpensa, dubium remaneret, non urgeret obligatio voti, quia non datur obligatio nisi de ea constet. Sed in casu nostro non videtur superesse dubium, cum LUCIANUS putaverit gravius peccasse, in pravam consuetudinem relabendo. Hinc igitur arguitur eum voluisse se obligare sub peccato, et consequenter verum emisisse votum. Secus dicendum esset, si forte LUCIANUS, ut non raro solent personæ minus de his instructæ, existimaret dari peccatum in omissione cujuslibet pii propositi coram Confessario emissi.

#### CASUS VII.

##### DE VALORE VOTI 2°.

GERVASIUS, adolescens, varia emisit vota: 1° vovit servare castitatem perpetuam, quam putat servatu facilem, sed postea experitur contrarium; 2° dare 100 fr. pauperibus, quia in duello evasis incolumis, utque e tali periculo alia vice eripiatur; 3° dare calicem Ecclesiæ quam putabat esse pauperem, sed nunc intelligit eam redditus sufficientes habere; 4° non edere de capitibus animalium, in honorem S. Joannis Baptistæ decapitati; 5° nunquam peccare neque mortaliter neque venialiter.

HINC :

- QUÆR. An fuerint valida GERVASII vota in singulis casibus?

SOLUTIO :

307. — *R. In primo casu*: valet votum castitatis, quia error non versatur circa substantiam obligationis; novit enim GERVASIUS qualis



esset obligatio a se suscipienda et servanda, et rem hanc vovit sicut cæteri, qui amplectuntur castitatem, vovere solent. Ergo rigorosa voti obligatione constringitur, et sola dispensatione Papali solvi posset. *Lacroix, n. 481.* Difficultas tamen servandi hoc votum, præsertim si ob fragilitatem GERVASIVS laberetur, sufficiens esset ratio dispensationem petendi, quia ejusmodi votum non esset utile, nec ad divinum honorem conferret.

*In secundo casu* : valet votum dandi 100 francos pauperibus, quia e duello incolumis evasit, siquidem materia voti est *de bono meliori*, licet occasione peccati, seu duelli ponatur. Non vero valet aliud votum simile, ut ex alio duello futuro salvus evadat (cum sit omnium doctrina certa), si vovendo implicite intendat protectionem divinam invocare ad *malum securius faciendum*, quod est Deo injuriosum et quodammodo blasphemum. Secus vero si, secluso pravo illo fine, mere intendat implorare præsertionem a periculo, eadem scilicet ratione ac quis, dum ex fragilitate non relinquit peccatum et peccati occasionem, misericordiam tamen divinam implorat, ne interim in peccato moriatur. *V. Laym. l. 4, tr. 4, c. 2, n. 7. — Comitulus, l. 2, quæst. 19.*

308. — *In tertio casu* : non valet votum dandi calicem Ecclesiæ, quam ex errore putabat pauperem, si intentio præcipua GERVASIVS fuit subveniendi Ecclesiæ pauperi; secus vero, si ejus motivum primarium fuit beneficiandi Ecclesiæ, et causa impellens tantum fuerit hujus Ecclesiæ paupertas.

*In quarto casu* : non valet votum non edendi capita animalium in honorem S. Joannis Baptistæ decapitati, quia illa abstinencia minime ad Sanctum honorandum conferre potest, nisi forte vovens ad hæc fuerit valde propensus, et ex mortificationis affectu ab istis cibis abstinere voveat. *Lacroix, n. 415.*

*In quinto casu* : valet votum non peccandi mortaliter, et etiam votum non peccandi venialiter omnino deliberate, quia nulla est ratio cur non valeat; hoc enim est de bono meliori et possibili. Monent tamen Doctores cum *Suarez, de Voto, lib. 2, c. 3, n. 3*, raro admittendum votum etiam vitandi omnia mortalia, quia ordinarie est plus periculi quam utilitatis in tali voto; imo aliquando posse tam grave esse periculum, spectata fragilitate voventis, ut propter temeritatem et imprudentiam tale votum emittere culpa non careat. Hæc autem a fortiori valent de voto vitandi etiam venialia deliberata, ut *ibid., n. 4, Suarez* advertit. Non autem valet votum omnia omnino peccata, etiam cum imperfecta advertentia commissa, vitandi; quia hoc esse impossibile, de Fide est, ut definivit *Concilium Trident., sess. 6, Can. 23. — S. Lig. l. 3, n. 303. — V. Comp. n. 320 et seq.*

### CASUS VIII.

#### DE VALORE VOTI 3º.

1º VERONICA, materfamilias, summo dolore animadvertens filiam suam MARTINAM ex pravo consortio TITH, amatoris, gravidam evasisse, et in-

gens dedecus, quod tum filiæ, tum familiæ toti imminerebat, graviter reformatans, Deo vovet coram B. Virgine, si filia, antequam pariat, moriatur, se aureos centum Ecclesiæ erogaturam esse. Interea vero MARTINA ex sua parte vovet, nisi a parentibus in matrimonium collocetur illi a quo gravida facta est, se cujusvis alterius nuptias repudiaturam esse. Etenim cum amatore illo de ineundo matrimonio convenerat.

2º ALBITIUS, morbo lethali correptus, metu instantis mortis pressus, vovet ingredi Ordinem Carthusianorum, si corporis sanitatem recuperet. Verum, morbo liberatus, audit in hoc Ordine perpetuo ab esu carnis abstinendum esse. Quapropter existimat se voto non ligari, quia, ait, « si hoc « ego scivissem, nunquam vovissem. »

HINC :

QUER. 1º *An votum matris et filiæ sit validum in primo casu?*

2º *Quid de voto ALBITII in secundo casu?*

SOLUTIO :

309. — *R. ad 1º Quæst.* 1º Licet votum matris licitum videri posset ex parte rei votæ, illicitum tamen dicendum est ratione finis, obtinendi scilicet a Deo in illis adjunctis mortem filiæ. Etenim, quamvis damnari non posset mater, quia ad vitandam summam tum filiæ, tum familiæ infamiam optat potius ut Deus huic calamitati filiam præripiat; attamen, cum hic adsit damnum et quidem æternum prolis, et matris desiderium non sit conditionatum quoad æternam prolis salutem, sed absolutum, hinc evadit omnino illicitum. Et sicut illicitum est desiderium, ita et preces Deo ob hanc causam oblatæ, atque etiam vota ad id obtinendum directa.

*Objicies forte* : Votum illud sanatum est, quia turpitudine quæ apparet neque in materia neque in fine versatur. Non quidem in materia, quia largitio centum aureorum pro beneficio, bona est; neque in fine, cum hic tendat ad infamiam avertendam.

*Respondeo* : Finis intrinsecus est id quod optatur, et a Deo et Sanctis ejus petitur; id autem quod offertur est materia. Quid igitur postulavit mater? ut moreretur filia; ergo mors filiæ *per se* votum terminabat, quamvis animus voventis ulteriorem finem haberet, seu infamiæ liberationem : at etiam finis ille flagitiosus fuit, quia medio scelerato quesitus est.

2º Votum vero filiæ vel hoc intelligitur quod, nisi ad servandam fidem sponsalium, et tuendam famam suam, matrimonium cum TITH inire expediat, continentiam statum amplecti velit, et hoc Deo voveat; et sic votum, utpote de re honesta et meliori bono, licitum est: vel ita intelligitur quod, sepositis continentiam affectu et sponsalium obligatione, nemini præterquam TITH nubere velit; et ejusmodi votum, utpote de re vana et indifferenti, invalidum censi debet.

310. — *R. ad 2º Quæst.* 1º Valet *per se* votum ALBITII, licet ex metu mortis in morbo gravissimo emissum fuerit. Ratio est, quia metus ab intrinseco, seu a causa naturali, minime lædit libertatem; ergo valet et



obligat utpote simpliciter voluntarium. Metus enim iste, a propria apprehensione excitatus, neque aufert libertatem, neque injuste est incussus ad votum extorquendum, nisi forte rationem adeo perturbet ut ejus usum tollat.

2° Attamen ex alia parte **ALBITIUS** non tenetur ingredi ordinem Carthusianorum, quia votum emissum est cum ignorantia circumstantiæ magni momenti, qua cognita, ille votum non emisisset, ut supponitur. Invalidum enim est votum, quoties vovens non tantum errat circa substantiam voti, sed etiam circa circumstantiam aliquam magni momenti, quæ votum impedisset, si cognita fuisset. Excipe tamen votum solemne professionis religiosæ, quæ instar matrimonii, ob nullum errorem, nisi ad substantiam rei promissæ pertinentem, infirmatur. *Voit, n. 573. — Lacroix, n. 378. — Layman, etc.*

## CASUS IX.

## DE VALORE VOTI 4°.

**GERALDUS**, perditus moribus ac in libidinem maxime pronus, audita vehementi concione contra luxuriam, statuit se ad meliorem frugem recipere, et ad propositum confirmandum exercitia spiritualia in quodam cœnobio aggreditur; ibique, ut arctius Deo adhæreat, perpetuam castitatem vovet, licet advertat, de ipsius Confessarii consilio, statum conjugalem multo meliorem sibi quam cœlibem fore. Sed postea, cum ad pristinam vilam rediisset, statuit matrimonium inire, ratus votum irritum esse, utpote quod *melius* impediret.

HINC :

**QUÆR.** *An valeat votum GERALDI, et dispensatione indigeat ad matrimonium contrahendum?*

SOLUTIO :

311. — *R. Affirm.* Valet votum **GERALDI**, quia est simpliciter de meliori bono, absolute loquendo, et pro omnibus, licet matrimonium ipsi convenientius fuisset quam cœlibatus, et licet forte votum matrimonii, utpote de bono relative meliori, emittere potuisset. Nec obstat magna proclivitas ad luxuriam, quia aliis mediis reprimi potest. Secus enim qui, emisso voto, hujusmodi proclivitatem experiretur, a voto liber evaderet, quod absurdum est. Ergo **GERALDUS**, si matrimonium inire velit, dispensationem a voto prius obtinere debet. Ita *Lacroix, l. 3, n. 481*, qui tamen fatetur ex gravium Theologorum suffragio oppositam sententiam esse probabilem. *V. Castropalao, tr. 15, D. 1, p. 9, n. 14.*

## CASUS X.

## DE VOTI OBLIGATIONE 1°.

**BIBIANA**, femina ad vovendum valde proclivis, plura emisit vota, et speciatim votum rosarium die sabbati recitandi. Cum illud quondam mane

recitaret, intentionem expresse elicuit per eam recitationem non satisfaciendi, sed satisfaciendi vespere per recitationem novam. Vespere autem recitare eam piguit. Voverat se modicam eleemosynam singulis diebus daturam esse; sed pluribus vicibus id omisit. Contigit quoque ut voveret se die Dominica, post vespertinum Officium, piæ lectioni aut orationi vacaturam; sed paulo post, voti hujus immemor, iterum vovebat se iisdem horis aliquas puellas pauperulas Fidei Christianæ rudimenta esse educturam. Verum, ubi prioris voti recordatio subiit, maxima perplexitate vexata est, nesciens quale votum e duobus sibi servandum esset. Tandem, ne iterum in tantis ambages se conjiceret, strictissimo voto se obligavit ad nunquam vovendum absque Confessarii approbatione et consensu.

HINC :

**QUÆR.** 1° *An BIBIANA voto de recitando rosario satisfecerit?*

2° *An omitendo modicas eleemosynas graviter peccaverit?*

3° *Quodnam votum ex duobus illis insociabilibus fuerit servandum?*

4° *An validum fuerit votum non vovendi sine approbatione Confessarii? Quid vero, si, non obstante tali voto, BIBIANA motu proprio vovisset?*

SOLUTIO :

312. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Nego.* Ratio est, quia obligatio voti oritur a propria voventis voluntate, et ab ea absolute pendet; proinde qui expresse intendit non satisfacere, sed manere obstrictus ea obligatione, reapse obligatus adhuc remanet. Idem de juramento dicendum est. Ergo **BIBIANA** opus voti cum intentione satisfaciendi ponere debet, vel saltem intentionem non excludere: satisfaceret tamen juxta communem sententiam, si immemor obligationis, opus promissum posuisset; quia quisque censetur habere prius voluntatem obligationibus satisfaciendi, quam aliquid supererogatorium faciendi. Si quis autem audiendo Sacrum die Dominica intenderet tum præcepto Ecclesiæ non satisfacere, et alii Missæ assistere, nihilominus satisfaceret primam Missam audiendo, quia præceptum non a propria voluntate oritur. *V. Comp. de legibus, n. 103, 104. — S. Lig. l. 1, n. 163; et l. 3, n. 221, in fine.*

313. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Nego;* quia votum parvitatem materiæ admittit, et **BIBIANA** in re levi votum violavit. Imo votum etiam in re gravi non obligat ultra intentionem voventis; ideo, si vovens voluerit in re gravi se obligare tantum sub levi, et opus promissum omittat, venialiter tantum peccabit. *V. Comp. n. 325.*

*R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Votum prius emissum servandum est; votum enim illud tempus determinatum afficiens, ligat voventis voluntatem, et impedit ne aliam obligationem huic eidem tempori affixam suscipere possit. Ergo secundum votum eo ipso est irritum, quum jam voluntatem diversimode obligatam respiciat; fit enim de re non amplius libera, et proinde de re impossibili.

314. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quærs. Affirm.* Votum enim illud sane est de bono